

Kam 234. (1-24)

14.

SPECIMEN IN AVGVRALE CHEMICO-MEDICVM
DE
**VARIIS SVLPHVR AN-
TIMONII AVRATVM PA-
RANDI METHODIS EIVSQVE
VSV MEDICO.**

QVOD

ANNVENTE GRATIOSA FACVLTATE MEDICA
PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN ARTE SALVTARI HONORIBVS ET
PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS

D. XX. DECEMBER. MDCCCLXXV.

H. L. Q. C.

PUBLICAE ERVDITORVM DISQUISITIONI SVBMITTIT

A V C T O R

IOHANNES THEOPHILVS ERHARD

ERFVRTENSIS.

ERFORDIAE

TYPIS HENR. RVD. NONNII, ACAD. TYPOGR.



SCIENTIA MAGNA ET CHIMICOLOGICA

A R T I S C A L P H R A
A L M U T A M A R K O M
E R I C H O N I C O D O
I A N N U M I C H O D O

A M I N E G R A D I O T H I C O
P I O C R I A D O C T O R I O

E R I C H O N I C O D O
I A N N U M I C H O D O

I A N N U M I C H O D O
A L M U T A M A R K O M

A L M U T A M A R K O M
E R I C H O N I C O D O

E R I C H O N I C O D O
I A N N U M I C H O D O

I A N N U M I C H O D O
A L M U T A M A R K O M

A L M U T A M A R K O M
E R I C H O N I C O D O



PROOEMIVM.



Nullum fere medicamentum ex minerali regno desum-
tum tot Chemicorum disquisitionibus exercitatum,
tantisque Medicorum laudibus ornatum reperitur,
ac concretum illud sulphureo-regulinum, quod sub
Antimonii seu Stibii nomine cognitum est. Etsi vero a mul-
tis fortasse nimis elatum fuerit, ut taceam suavia veterum Che-
micorum & Alchymicorum insomnia de primis metallorum
principiis, sale, sulphure & mercurio, ibi reperiundis; atta-
men quoque Antimonium, ut vocatur, crudum omnis virtu-
tis expers dici nequit, nec venenis adnumerandum, licet præ-
paratorum quorundam antimonialium efficacia magna sit ac ve-
hemens, quorum ut & Stibii crudi usus ineptus omnino no-
xios, immo periculosos & exitiales effectus edere potest, qua-

A 2

propter

propter & quondam Antimonium in Gallia aliquamdiu tanquam venenum vetabatur. Sed experientia docuit, egregium hoc minerale rite præparatum prudenterque exhibitum efficax quidem esse remedium, minime vero vehemens aut virulentum. Et hoc etiam de præparato illo pharmaceutico antimoniali, Sulphure nitirum sic dicto aurato, valere, in sequentibus demonstrare allaborabo. Huius itaque medicamenti qualitas & in medendo efficacia ut recte perspiciatur, considerationi eius præparandi quoque ratio præmittenda erit. Quum vero & hæc, & illa probe intelligi nequeat, nisi prius Antimonium ipsum quoad partes constitutivas & vires medicas bene cognitum habeamus, huius mineralis analysin chemicam & in medendo virtutem ante omnia breviter expondere mihi animus est. Is igitur erit rei pertractandæ ordo, ut primo Antimonium crudum ipsiusque partes constitutivas & vires considerem, deinde Sulphuris Antimonii aurati præparationem referam, tandemque vires eiusdem medicas & usum in affectibus corporis humani morbosis proponam. Faxit Numen supremum, ut omnia bene succedant. L. vero B. ut æque humaniterque de hisce Speciminis loco editis iudicet, rogo.

ANALYSIS ANTIMONII.

S. I.

Antimonium seu Stibium off. est concretum minerale sulphureo-regulinum, durum, ponderosum, friabile & nitentibus striis

strius distinctum, quod in diversis regionibus e minera sua fusione simplici, & quidem ob volatillem eius in igne indolem in valis clausis, eliquatur, *) qua a lapidibus & terris, quibus ut plurimum adhaeret, separatur, & hoc modo purificatum sub nomine Antimonii crudi in officinis nostris prostat & in usus medicos adhibetur.

*) Conf. NEVMANNI Chymiae dogmat. experimental. Tom. IV.
Pars I. pag. 119.

§. II.

Experimenta cum Antimonio instituta & ex illo parata medicamenta evidenter demonstrant, illud e duabus partibus constitutivis principalibus compositum esse, Sulphure nimirum & substantia semimetallica seu Regulo. Sulphur per se consideratum a vulgari non differt, & sequentibus experimentis satis superque probatur:

- 1) Antimonium prunis inspersum odorem & flamمام Sulphuris communis praebet.
- 2) Idem in aqua regis solutum verum Sulphur exhibet.
- 3) Ex regeneratione Antimonii, si Sulphur vulgare Regulo in fusione additur.
- 4) E Cinnabaris Antimonii præparatione.
- 5) E scoriis Reguli Antimonii martialis sine additamento alcalino factis, quæ superfuso Vitrioli aut Nitri Spiritu quo-

ad partem metallicam solvuntur, Sulphure intacto remanente, etc.

§. III.

Sulphur hoc, vulgari simile, e duabus iterum constat principiis, substantia bituminosa aut inflammabili, & acido vitriolico. Ambo haec principia Nitri antimonati preparatio sufficienter monstrant, quippe quod a Sale polychresto parum differt, & e lixivio Antimonii diaphoretici per evaporationem & crystallisationem paratur. Prioris principii documentum est detonatio Nitri cum Antimonio, posterioris vero origo falsis huius medii.

§. IV.

Altera pars constitutiva Antimonii est Regulus, substantia sui generis semimetallica, priorem ratione ponderis multum superans. Nam peculiari quadam encheiresi unciae eius decem ex libra una Antimonii excutiuntur. *) Huius autem qualis sit principiorum compositio & natura, multum inter Chemicos disputatum fuit. Alii enim mercurialis, alii arsenicalis naturae illum esse contendunt. Sed multa huic opinioni obstant. Ad priorem quod attinet, nulla hactenus cognita methodo ex Antimonii Regulo provocari potuit Mercurius vivus, nec ulla alio modo demonstrari potest. Siquidem Regulus igne calcinatus facile iterum carbonum pulveris aut alias phlogisti additione, qua certe mercurialis naturae non sunt, in pristinam substantiam reduci potest; nec tantum ignis gradum Mercurius sustineret, sed subito prorsus in auras abiret.

*) Vid. YOGEL Institutiones Chemiae, §. 681-682.

§. V.

§. V.

Ab arsenicali natura, quam præsertim e viribus, quas edit in corpore humano, draſticis & corroſivis probare volunt, vario respectu diſſert, quum Antimonium purum uſſulatum ne ullum quidem alii odorem habeat, quem tamen Arſenicum, si comburitur, ſpargit. Neque Regulus ullo modo, ut Arſenicum, in Aqua aut oleo Tartari per deliquium ſolvitur, prætereaque particulae Arſenici & Antimonii conſtitutivæ prorsus figura diſſerunt, quum illæ binas pyramides quatuor lateribus præditas & baſi coniunctas oſtendant, hæ vero acubus quaſi ſimiles ſint. *)

*) Conf. HUXHAMI Observations de Antimon. Edit, Reichel, Oper. physic. medic. Tom. III. pag. 135.

§. VI.

Quænam itaque ſunt Reguli principia? Luculenter hæc tam aphæresi, quam syntheſi chemica demonſtrari poſſunt. Si Regulus leni igne calcinatur, nil remanet, niſi terrea quædem ſubſtantia, iners, minime virulentæ, quæ adhibito igne fuſorio vitream induit formam; ſi vero hiſ in fuſione phlogiſton ſeu inflammatibile quoddam additur, facile iterum in regulum convertuntur. Idem cum tribus Nitri partibus detonatus, & a ſale iterum elotus, pulvrem album ſeu calcem priori ſimilem exhibet. Exinde igitur ſatis clare percipitur, Regulum Antimonii e phlogiſto & terra ſpecifica vitreſcibili conſtarē.

§. VII.

S. VII.

Non autem confundi debet phlogiston Reguli cum parte Antimonii constitutiva primaria, nimirum Sulphure, a quo omnino differt, eodem modo, quo simplex a composito. Sulphur, ut Sulphur, ad Reguli compositionem & formam effingendam minime necessaria est, id quod experimenta (præced. Spho) allata comprobant; in priori enim experimento nil, nisi simplex phlogiston ad Reguli reductionem requirebatur, & in posteriori sal medium exsurgere debuisset, uti Nitri antimonati præparatio facili nos convincit negotio, quam tamen purum alcali a calce separetur. Quid? quod Sulphur, cum Vitro Antimonii fusum, cum eo in corpus Antimonii concrescit, *) neutiquam vero Reguli, si iusta proportione additur. Exinde quoque falsitas existentia principii arsenicalis in Regulo intelligi potest; ablato enim phlogisto calx restans nullam vim, multo minus virulentam, monstrat, quam vero addito rursus phlogisto tam vehementer exserit, quam ille, qui nunquam calcinatus fuit.

*) Conf. GEOFFROI in Memoires de l' Acad. roy, des Sciences,
Ann. 1734. pag. 575.

S. VIII.

Ab isto Regulo præcipuae Antimonii vires dependent, & experientia docuit, quod, per se consideratus, vires edat vehementer irritantes, i quod præsertim in ventriculum agat & vomitum excitet; quod vero & alvum ciat, diuresinque

ac

ac diaphoresin producat, si efficacia eius iusta præparatione & prudenti usu moderatur, quum e contra improvidus eius usus periculosos, immo summae virulentiae effectus exserat. Adhuc notandum est, et si haec Reguli vires a terrea eius substantia specifica dependeant, attamen principii inflammabilis cum eadem coniunctio requiritur, ad illam efficacem reddendam. Regulus itaque necessaria phlogisti immixtione gaudens, vehementissime ac validissime agit; quo magis ei hoc phlogiston ausfertur, eo mitior erit eius actio, & illa phlogisto omni in integrum spoliata calx Antimonii nullas prorsus irritantes vires possidet, sed plane iners esse videtur.

§. IX.

Ob alteram Antimonii crudii partem constitutivam, nempe sulphuream, omnes ei vires, quæ Sulphuri vulgari tribuntur, convenient. Nonnulli quidem Sulphuri sensibilem in corpore humano agendi facultatem abnegare volunt, quoniam in primis viis non dissolvetur; sed eius solutio non adeo impossibilis est, si consideramus, humores digerentes, præsertim bilem, ob saponaceam oleosam qualitatem ope caloris & motus peristaltici actione Sulphuri aliquid eripere posse. Observations quoque docuerunt, quod omnino blande resolventes & diaphoreticas vires possideat; sudor Sulphur in usum vocatum redolet; si porro diu usurpatur, alvum laxat & deiectiones inde magis fecerit.

B

§. X

§. X.

Adhæc pars regulina a Sulphure involvitur, vis eius irritans & efficacia vehemens moderatur, ita ut Antimonium crudum egregie quidem resolvens &, minime vehementer, sed innocenter irritans sit remedium. Initio quidem interdum nauseam, raro vomitum excitat, quod vero temporis progressu evanescit; vomitus hic per se ab acido in primis viis stabulante originem dicit, quod regulinam partem quodammodo solvens leniorem producit Tartarum emeticum, & inde quoque effectus vehementes a nonnullis observati derivandi sunt. Quia propter ex prudentia cum absorbendibus iungendum & a parca semper dosi incipiendum est.

§. XI.

Quo plus vero Sulphuris ab Antimonio separatur atque dirimitur & Regulus itaque denudatur, eo acrius tum agit. Ex his elucescit medicamentorum antimonialem diversum efficaciam gradum in diversa solummodo Reguli & Sulphuris, ac respectu partis regulinæ seorsim considerata, principii inflammabilis terræque semimetallicæ inter se proportione positum esse.

§. XII.

Hæc ad Antimonii crudi cognitionem sufficient, quum instituti mei non sit, ulteriori & specialiori eius indagationi diutius in hærente; dicta enim propterea tantum in medium profere volui, quoniam ad sequentia melius intelligenda scitu tea

tea necessaria erant. Iam igitur fundamento quasi posito ad Sulphuris Antimonii aurati considerationem progredior & ante omnia diversas ilud præparandi methodos propono.

SULPHURIS ANTIMONII AURATI PRÆPARATIO.

§. XIII.

Supra iam dictum atque probatum est, Antimonium e Sulfure minerali & substantia semimetallica seu Regulo compositum esse ; in horum separatione Chymici summa ope enissi sunt, & diversas eius methodos indicarunt, quæ vero ad duas classes reduci possunt : prima est, si Sulphur Antimonii absque additamento quodam sola calcinatione in auras avolat & calx remanens inflammabili quodam fusâ ad metallicam formam reducitur ; altera est, si partes sulphureæ & regulinae additamenta cuiusdam ope separantur. Additamenta, quibus partium antimonialium separatio acquiritur, eatenus differunt, quatènus vel cum parte regulina, vel sulphurea se coniungunt, & harum alteram suscipiunt, alteram vero repudiant. Illud peragunt diversæ acidorum species, quippe quæ Sulphur Antimonii absolute intactum relinquunt, cum Regulo autem facile se coniungunt ; coniunctioni cum sulphurea parte subeundæ apta reperiuntur alcalia fixa & metalla quædam. Reliquis separationis methodis missis illas tantummodo impræsentiarum considerabo, quæ Sulphuris cum alcalibus fixis coniunctioni innituntur & sic dictum

B 2

Sul-

Sulphur auratum præbent. Sed irritum fore laborem existimo, quem enarrationi diversorum huc spectantium processuum impendere vellem, quum in omnibus fere Chimiæ & Pharmacie compendiis indicati reperiantur, quapropter rationes, quibus nituntur, alcaliumque fixorum in Antimonium actionem referre sufficiet.

§. XIV.

Alcalia fixa, qualiacunque sint, præsertim vero caustica, Sulphur solvunt, hinc patet ratio virtutis eorum, qua in Antimonium agunt, nimirum Sulphur eius solvendo & secum iungendo. Quemadmodum vero Sulphuris communis per alcalia solutio duplice via impetratur, fusione, quæ Chymicis solutio secca, & coctione, quæ humida audit: ita quoque Sulphuris antimonialis extractionem utraque hac via obtinendam tentarunt, quæ igitur singulatim lustranda erit. Primo de secca Sulphuris Antimonii solutione, quæ fusionis ope absolvitur.

§. XV.

Alcalium autem in Antimonium actio &, quæ inde oriuntur producta pro diversa assumtorum proportione & procedendi ratione differunt. Si enim salis alcali pars una cum Antimonii partibus quinque funditur, parum tantum Sulphuris separatur & in scoriam mutatur, sub qua erit massa chalybis lavigati speciem referens, quæ maximam Sulphuris partem & integrum Regulum continet, ideoque parvam tantum vim emeticam exserit, nec in aëre humida sit; Regulum Antimonii medici-

dicinalem vocant. Salis vero alcalini fixi quantitas f multo lar-
gior, ut circiter duæ partes ad unam Antimonii, cum eo com-
mixta & fusæ, sulphuream partem statim arripit & penitus sol-
vit, quo facto Hepar Sulphuris format, quod omnia fere me-
talla, ergo & Regulum aggreditur atque dissolvit, quapropter &
nulla obtinetur partium antimonialium separatio, sed massa,
quam primum illa fuit, in conam effusa id præbct, quod He-
par Antimonii vocatur, nimirum substantiam unius formæ se-
mivitream, fragilem, æris humiditate facile deliquescentem.

§. XVI.

Alii aliam adhuc ingredientium rationem præscribunt; qui
enim **BASIL. VALENTINUM** sequuntur, alcali & Antimonii partes
æquales recipiunt, & **SPIELMANNVS** affirmat, *) quod quo ma-
ior sit ratio salis alcali ad Antimonium, eo altius, perfectius, ple-
nus hoc dissolvatur, ita ut observaverit, a quatuor partibus salis
alcali cum una Antimonii fusis hoc ita fuisse penetratum, ut om-
ne cum aqua per filtrum transierit.

*) Vid. eiusd. Institution. Chemicæ, pag. 112.

§. XVII.

Hac itaque ratione nulla Reguli separatio impetratur, quam
tamen **GEOFFROI** impetrasse *) multis & repetitis experimentis
comprobat. Nam salis alcali & Antimonii partes æquales, e. g.
singulorum uncia una, invicem fusæ, plerumque dederunt Re-
guli grana 18 · 19, eiusdem salis uncia una cum dimidia & An-
timono-

timonii uncia una simili modo fusæ grana 49 Reguli præbuerunt; e contra expertus est, unam partem salis alcali duas Antimonii in Hepar vertere posse, & nullum inde Regulum separari.

*) Loc. cit. Ann. 1735. pag. 424.

§. XVIII.

Horum autem Phœnomenorum adeo inter se discrepantium ratio diversæ ingredientium proportioni aut qualitatib[us] tribui nequit, ergo illam in procedendi modo quærendam esse existimo, quod & experientia confirmat. Si enim mixtum illud, ex duabus alcali partibus & una Antimonii conflatum, vidiori & fortiori, ac pro conficiendo Hepate fieri solet, igne urgetur, tum in fundo massæ hepaticæ in conum fusorium effusæ Reguli pars interdum maior, interdum minor deprehendetur. *)

*) HUXHAM loc. cit. pag. 150. idem affirmat.

§. XIX.

His itaque procedendi methodis exactam quidem Sulphuris impetrari solutionem, nullam vero aut exiguum Reguli separationem vidiimus, partim ob Hepatis Sulphuris, qua pollet in dissolvendis metallis, efficaciam, partim, quoniā Regulus vi ignis phlogisti sui portione aliqua privatus in Crōcum seu calcis imperfectæ speciem mutatur. Si igitur fusio ea instituitur inten-

intentione, ut quamplurimum Reguli conservetur & separari possit, Antimonio & alcali additur materies, ignis ope in alcali quoque convertenda, quæ vero copiosum suppeditat phlogiston, destructionem Reguli, ut Reguli, impediens, talis est Tartarus crudus. Tum fusione rite instituta obtinetur Regulus fundum vasis occupans & Hepatis Antimonii species sub scoriæ nomine priori superne adsidens, ab illo separanda.

§. XX.

Nitrum Antimonio crudo adiectum idem fere, quod alcali fixum, praefstat, sed ob acidum sibi iunctum peculiares adhuc edit effectus, quos breviter considerare liceat. Ex Chemia notum est, Nitrum cum omnibus substantiis principio inflammabili fecitis, quamprimum igni exponuntur, detonare, i. e. eius acidum inflammabili iunctum cum strepitu & flamma in auras avolare & ex hac detonatione diversa pro corporum diversitate oriri producta. Iam vero scimus, Antimonium duplici gaudere phlogisto, nimirum illo, quod partem constituit Sulphuris communis in eo contenti, & eo, quod terræ regulinae formam semimetallicam præbet. Si igitur Antimonium & Nitrum igni exponuntur, acidum Nitri & phlogiston Antimonii invicem unita instar fumi & flammarum in auras avolant, acidum vitriolicum Sulphuris liberatum acidum nitrosum locum occupat & cum alcali Nitri Sal polychrestum seu sic dictum Nitrum antimoniatum format, portio vero regulina phlogisto suo privata in calcem mutatur. Pars itaque

itaque sulphurea hoc modo etiam ab Antimonio separari potest.

§. XXI.

Sed effectus pro varia assumtorum quantitate differt; nam si parum tantum Nitri, ut circiter octava pars, cum Antimonio detonatur, massa, a scoriis supereminentibus separata, nihil aliud erit, ac Regulus Antimonii medicinalis, cuius supra (§. xv.) mentionem feci. Aliter se habet Nitri operatio, si largior eius portio, nempe partes tres cum una Antimonii deflagrantur, hic enim omne phlogiston, & Sulphuris, & Reguli dissipatur, & in crucibulo nil remanet, nisi me- ra terra regulina in quovis acido insolubilis, Nitrumque antimoniatum. Si vero Antimonii & Nitri partes æquales invicem detonantur, multum quidem phlogisti conflagratione comburitur, interea tamen in hac miscela Nitri quantitas non tan- ta est, quanta ad plenariam phlogisti Sulphuris & Reguli combustionem requiritur; portio itaque Sulphuris integra restat, quam Nitrum nunc in alcali conversum avide imbibit adeoque cum eo Hepar Sulphuris efficit, Regulus vero phlogisto suo aliquatenus, non penitus, orbatus in crocum mutatur, quem Hepar dissolvit ac secum coniungit. Exsurgit sub hac operatione massa semivitrea, sub Hepatis Antimonii nomine in Pharmacopoliis asservata & a priori (§. xv.) parum aut nihil diversa; longe vero minori quantitate hac methodo adhibita impetratur, nam ex uncisiis octo Nitri & Antimonii vix tres unciae massæ hepaticæ prodeunt, quum e contra ex un- ciis

ciis octo salis alcali & sex uncias Antimonii uncias eius decem obtinuerim.

§. XXII.

Nitrum itaque per se cum Antimonio tractatum separationi Reguli, quā talis, non sufficit, quapropter ei ob causas supra (§. xix.) allatas Tartarus crudus iungitur, ea plerumque ratione, ut Nitri pars una admisceatur Tartari partibus duabus totidemque Antimonii, *) quā invicem mixta successive in tigillo, inter carbones iam candefacto, detonantur; vel Tartarus crudus & Nitrum antea in fluxum, ut dicitur, nigrum mutantur, qui postea cum æquali portione Antimonii commixtus in crucibulo liquatur. **) Massa vehementiori igne liquefacta, posteaque subito in conum fusorium effusa & refrigerata in duas partes divisa reperitur, nimirum Regulum in fundo hærentem, & scoriā in superficie Relli, quā Hepar quoddam Sulphuris sistit, cui haud parva portio regulina sub Croci Antimonii forma adhuc immixtum est.

*) cf. VOGEL l. c. §. 680. & 752. qui & reliquas hic observandas encheireses indicat.

**) Ad normam in Dispensator, Borusso-Brandenburgico pag. 10. traditam.

C

§. XXIII



§. XXIII.

Massæ hepaticæ & scoriae ex Reguli Antimonii simplicis, ut vocatur, fusione enatæ, si sufficienti quantitati aquæ iniiciuntur & in ea coquuntur, quoad maximam partem aquæ ferventis calore solvuntur; refrigercente vero solutione partes crassiores Croco Metallorum similes ad fundum secedunt, quæ a liquore superstante filtrationis ope separantur. Lixivio huic tenerioribus sulphureo-regulinis particulis adhuc scatenti acetum instillatur, quod pulverem obscure rubrum inde descendere facit, qui ope chartæ bibulae a lixivio separatur, cui rursus acetum inspergitur, & exturbatur inde alius pulvis, aurantii coloris, idque tertio fit & quarto, donec nihil amplius demittitur. Qui sub his ultimis præcipitationibus in imum fertur pulvis, pallidi aurantii coloris est & sub nomine Sulphuris Antimonii aurati tertiae præcipitationis in Officinis servatur. Ad repetitam hanc præcipitationem obtinendam, non nimium aceti statim sub initio simul affundi debet.

§. XXIV.

Sulphur Antimonii primæ præcipitationis plures continet partes regulinas, quæ ob gravitatem maiorem citius secedunt, ac illud secundæ, & sic in proportione semper pariores, ita ut ultima præcipitatio fere tota sulphurea sit.

Facile

Facile enim perspicimus, prius secessuras illas portiones, quæ plus Croci vehunt, eas tardius, quæ minus habent, & certe illud primæ præcipitationis Sulphur a subsequentibus ratione coloris & gravitatis specificæ non parum differt; quod & simul comprobat, partium regulinarum cum sulphureis cohæsionem tantummodo laxam esse, nec in fusione admodum firmiter uniri, sed potius, uti ex Hepatis & Scoriarum viribus, quas edunt, draisticis appetet, distrahi ac regulinas denudari.

§. XXV.

Hæc, quam proposui, Sulphur Antimonii auratum præparandi methodus communissima est & usitatissima, secundum quam præparatum hoc nihil aliud est, ac Magisterium Sulphuris fibialis. Alias methodos, a descripta nonnihil diversas, tradunt CARTHEVSRVS, *) SPIELMANNVS **) & BRENDELIVS. ***) Ab aliis iterum mutationes fiunt cum diversis liquoribus præcipitantibus, sic GLAVBERVS usus est calida Tartari solutione, Sulphur inde præcipitatnm Sulphure aurato vulgari mitius esse existimans illudque superbo Panaceæ titulo insigniens; alii Spiritum Vitrioli, solutionem Salis ammoniaci etc. lixivio infundunt. Sed, ut mihi videatur, hæc in Sulphure aurato nihil mutare valent, quum effectus eorum in eo consistat, ut cum alcali inncta sal medium forment & eo ipso illius in dissolvendo Sulphure fa-

C 2

culta-



cultatem auferant, qua sit, ut Sulphur, salibus quoque gravius redditum, ad fundum secedat.

*) in Pharmacologia, pag. 495.

**) l. c. pag. 242.

***) in Progr. de Sulphure aurato Antimon. non vomitor. vid. eiusd. Opuscul. mathemat. & medic. argumenti, P. I. pag. 67.

§. XXVI.

Nonnullis videtur, vim Sulphuris aurati emeticam ab acido augeri & propterea magnam in eo abluedo curam exhibent, aut ad illam infringendam cum alcali urinoso, e. g. Spiritu Salis ammoniaci, urinæ, urina ipsa, præcipitationem instituant. Evidem non negandnm, quin aliquid ex acido simile cum Magisterio cadat; interim tamen, quum acidum lixivio instillatum ab alcali fortiter attrahatur & ita in fatis neutri, ut v. c. acetum in Arcani Tartari, similitudinem transformetur; Sulphuris aurati vim vomitoriam augere nequit; & quum alcali nihilominus prædominetur, id bonum erit intermedium, cuius ope illud magis aptum reddetur, ut ab humoribus digerentibus dissolvi eoque facilius ad circulationis viam pervenire queat, quapropter & eius edulcorationem non adeo necessariam esse duco.

§. XXVII.



§. XXVII.

Lixivia alcalina, quum iis Sulphur aggrediendi & solvendi vis inhæreat, si cum eo coquuntur, (§. xiv.) ad Sulphuris quoque aurati præparationem adhibentur. Si Antimonium in lixivio alcalino concentrato per aliquod tempus digestum coquitur, Sulphur eius sub coctionis initio cum alcali se coniungit, & quum Hepar Sulphuris fluidum inde exsurgat, tandem quoque metallicam partem solvit & aquæ unit. Hæc vero caloris tantum beneficio in lixivio soluta hærent, ex eo enim per filtrum trajecto & refrigerato ad fundum fecedit pulvis rubicundus levis, qui Kermes minerale seu pulvis Carthusianorum dicitur, a liquore colationis ope separandus. Lixivio, quod multum adhuc Antimonii soluti continet, acidum, qualecumque sit, instillatur & præcipitatibus inde pulvis aurantiorum colore instructus, Sulphuri aurato supra §. xxiii. memorato similis, & cum eadem successiva colorum & gravitatis specificæ mutatione, si una eademque præcipitandi ratio servatur.

§. XXVIII.

In lixivio parando parum intererit, quale alcali fixum adhibeat. Ad pulveris Carthusianorum præparationem communiter utuntur liquore Nitri fixi seu Alkahest Glauberi, sed lixivium ex sale Tartari, cineribus clavellatis, &c. paratum idem præstabit. Imo HUXHAMUS *) Kermes mineralis aut po-

C 3

tius

tius Sulphuris aurati speciem præparandi modum tradit, qui aquæ Calcis vivæ admodum fortis cum Antimonio crudo coctione & præcipitatione cum acidis, aut solutione Salis ammoniaci, aut urina recenti perficitur. STABELIUS *) ex Regulo Antimonii medicinali cum lixivio alcali caustici, e Calce viva & cineribus clavellatis parati, cocto Sulphur Antimonii, quod fixum appellat, extraxit; sed hoc intuitu naturæ & præparationis Kermes minerali propius accedit. HIER. LUDOLF **) aliam adhuc lixivii præparandi methodum exhibet, nimirum e cineribus fageis & Calce viva cum sufficiente urinæ quantitate coctis; in hoc lixivio per transcolationem depurato Antimonium crudum tamdiu decoqui iubet, usque dum lixivio flavescens conciliatus sit color, e quo post pulveris subsidentiam decantato per acetum, repetitis vicibus instillatum, Sulphur auratum præcipitatur.

*) l. c. pag. 154.

**) in Chemia dogmatico-experimental, pag. 315.

***) in seiner Einleitung in die Chymie, 617.

§. XXIX.

Ex hactenus dictis itaque apparet, Sulphur Antimonii auratum multis diversisque parari posse modis, sed pro varia eius
præ-

præparatione Sulphuris & Reguli inter se rationem, con sequen ter & efficaciam variare, in confesso est; imo quum acidi præcipitantis per vices lixivio instillati quantitas non satis de terminata sit, Magisterium hoc una eademque quidem metho do, sed diversis temporibus, paratum, differre potest, qua propter in eo propinando circumspetione & iudicio opus est. Si vero semper unum idemque alcali, una eademque aquæ ad coquendum sumtæ acidique præcipitantis portio adhiberetur, non dubito, quin medicamentum perpetim sibi æquale parari queat.

SULPHURIS ANTIMONII AURATI VIRES ET USUS.

§. XXX.

In præcedentibus (§. xxiv.) demonstratum est, portio nem huius præparati regulinam cum sulphurea laxe tantum unitam esse illamque ab hac non amplius implicari; suam itaque, qua pollet, absque remora edere potest efficaciam. Quum vero & hæc in præparatione aliquatenus moderetur, partim, quoniam durante cum salibus fusione & cum Nitro detonatione Regulus in Crocum convertitur, cui phlogisti quid ablatum est, & qui in acidis temperatioribus vegetabilibus solubi lis,

lis, actionem, testante experientia, monstrat mitiorem Regulo ipso, qui acidum concentratius minerale ad sui solutionem postulat; partim, quoniam particulae regulinæ, crassioribus per se secessis, admodum teneræ sunt ac leves, præsertim ille in Sulphure aurato tertiae præcipitationis contentæ, toties colum transeuntes: facile nunc iam perspicimus, quod Sulphur Antimonii auratum satis insignes possideat vires, cum iis tamen quam maxime convenientes, quas Regulus iusta præparatione mitigatus (§. viii.) ostendit.

§. XXXI.

Præcipua vero & generalis Sulphuris aurati vis est stimulans, & ab hac omnes reliquæ eius vires dependent, quæ nunc sunt emeticæ, nunc catharticæ, nunc licet rarius, diureticæ, nunc, & saepius, diaphoreticæ, nunc solummodo simpliciter resolventes, prout id primæ aut subsequentium præcipitationum largiori aut parciori propinatur dosi. Sulphur auratum tertiae præcipitationis, tanquam mitissimum, plerumque in usum vocatur medicum, licet & priora præcipitata subiectis robustioribus aut segniori natura præditis parca dosi exhiberi scopoque emetico aut cathartico inferire queant.

§. XXXII.

§. XXXII.

Morbi, in quibus experientia teste, antimoniale hoc præparatum efficax se præbuit, in genere sunt ii, qui e spillitudine ac tenacitate fluidorum, serosorum imprimis & mucosorum, ex impuritate & acrimonia eorum chronica, e debilitate & torpore solidorum & ex impeditis suppressisque excretionibus naturalibus originem ducunt. Ex hisce facile colligemus, quantam in affectibus corporis humani morbosis ferat opem, & in quibus cum utilitate & fructu adhiberi queat. Enumerandis celeberrimorum viorum observationibus memoriae proditis, in quibus singulis eius in debellandis singulis morbis efficacia celebratur, non immorabor, sed paucis tantum verbis morbos, quibus ratione & experientia suadente medeat, indicabo.

§. XXXIII.

Magisterium hoc stibiale cruditates primarum viarum, imprimis viscidas, pituitolas egrégie resolvet, vermes necabit, per vomitum aut per alvum evacuat; obstrunctiones pertinaces Mesenterii, Iecinoris, Pulmonum aliorumque viscerum aperiet, ideoque & in Ictero, Atrophia, Phthisi incipiente, Hydrope, Malo hypochondriaco, obstructione mensium, aliisque morbis inde oriundis conduceat; in febris, præsertim intermittentibus, ipsis autumnalibus, chronicis

D

nicis, summo cum successu exhiberi poterit; usus eius fe-
re universalis erit in affectibus pulmonum pituitosis, Catar-
rhis, Asthmae, Tussi catarrhalis, stomachica, convulsiva, Ca-
tarrho suffocativo; porro singulares edet effectus in Sca-
bie, Porrigine, morbis cutaneis, ulceribus sordidis, morbis
venereis, Gonorrhœa, Fluore albo maligno, Bubonibus, Te-
sticulo venereo etc. ut & in Rheumatismo, Arthritide vaga
& fixa; tandem quoque in morbis pectoris inflammato-
riis sputa aut leatius procedentia aut suppressa pro-
movebit.

§. XXXIV.

Per se rarissime datur, sed aliis appropriatis & scopo
respondentibus admiscetur. In permultis casibus cum Ca-
lomelano aut Mercurio dulci, ut in Plummeri pulvere alterante,
combinari potest, & efficacia eius magnopere au-
gebitur. Immo quin nuperrimæ observations docue-
rint, Opium Ipecacoanhæ iunctum eximum edere effectum
diaphoreticum, illud quoque eodem scopo non incongrue
Sulphuri aurato iungendum fore & tum efficax contra fe-
bres intermitentes aliasque remedium evadere iudico. Por-
ro etiam potu sufficiente diluente calido radicum atque her-
barum statui ægroti accommodatarum, specificarum iuvare
debet, habita simul conveniente regiminis ratione, si expedi-
tum sentire volumus effectum.

§. XXXV.

S. XXXV.

Sulphuris Antimonii aurati tertiae præcipitationis dosis pro circumstantiarum & scopi diversa ratione est varia, a grani dimidio ad unum, duo, tria etc. grana. Observatum est, Sulphur auratum successive pluribus diebus eadem dosi sumtum, semper minorem exercere emeticam, maiorem vim diaphoreticam. Sed expedit, ut a minori semper dosi incipiatur eaque gradatim augeatur, ita tamen, ut doses non nimis celeriter sese excipient. Infantibus granum unum in tres doses divisum de die cum Melle aut Syrupis aliquique morbo accommodatis propinari potest. Acido in primis viis stabulante absorbentia addenda & in eius usu ab acidis quoque vel acescentibus abstinentum.

TANTVM,




der dreyßigsten Thaus Jahren geschrieben den
29. Februarii Anno MDCCLXVII. Volumen I.
So wie der zweyten und dreyten Theile
der dreyßigsten Thaus Jahren geschrieben den
29. Februarii Anno MDCCLXVII. Volumen II.
So wie der zweyten und dreyten Theile
der dreyßigsten Thaus Jahren geschrieben den
29. Februarii Anno MDCCLXVII. Volumen III.
So wie der zweyten und dreyten Theile
der dreyßigsten Thaus Jahren geschrieben den
29. Februarii Anno MDCCLXVII. Volumen IV.

MVITZAT

UD 18

PICA



14

SPECIMEN IN AVGRALE CHEMICO-MEDICVM
DE
VARIIS SVLPHVR AN-
TIMONII AVRATVM PA-
RANDI METHODIS EIVSQVE
VSV

ANNVENTE GRATIOS
PRO GRAD

SVMMISQVE IN ARTE
PRIVILEGIIS R

D. XX. DECE

PUBLICAE ERVDITORVM

AVC
IOHANNES THE

ERFV

ERFO
TYPIS HENR. RVD.

